



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Boetica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67132)

PROVINCIA

BOETICA.



VNDICIM & quadringenti de nostris in Bœtica Prouincia fuerūt. In Hispalensi Professorum Domo septem & quadraginta. In Collegio duodeseptuaginta. Cordubæ quatuor & octoginta. Granatæ quatuor & quinquaginta. In Montelano Collegio duodequinquaginta. In Væzano quinque circiter & viginti. In Malacensi septemdecim. Totidem in Marcensi. In Triguerenſi duodeviginti. In Gadi-tano vndeviginti. Quatuordecim in Zerensi. Ad-miſit hic Societas ad viginti. mortui ſunt ſeptem. In iſſq. Pater ipſe Prouincialis, qui ſuis laboribus atque induſtria huic Prouinciæ pluximum attulit adiuuenti.

PROFESSORVM DOMVS HI- ſpalenſis & alia quædam Collegia.

IN Hispalenſi Professorum Domo conſtans eſt
celebritas hominum & conuentus ad Sacra-
menta: idq. tum maxime cerni licuit, cum pro-
merendi Iubilæi gratia, quod noui Pontificis li-
beralitas vniuerſo Chriſtianorum orbi conceſſit,
Pani-

Panitentia, Eucharistiaq. fuerunt percipienda mysteria. Sex amplius hominum millia uno atque altero die caelestibus apud nos epulis sunt excepta. Sed cum in omni munere recte nostri & cum utilitatis laude versantur, tum in animorum tutela perditigenter. Atque ut minuta dissimulemus; mulieres tredecim, quæ suis corporibus abutebantur ad questum; vel ad honesta sunt traductæ coniugia, vel ne se amplius noxijs voluptatibus inquinarent, in tutis sedibus collocatæ. imbutaq. de more plebs catechismi, non in Vrbe modo, sed etiam in Suburbijis, proximisq. pagis.

COR DVBAE Iudæus quidam, cui iam Deus illuxit, baptismi causa ad nos se contulit; acceptiq. Christianæ legis initijs, summa populi celebritate in eade maxima baptizatus est. Eadem fors obtigit mulieri Turcæ, quæ quamquam impuris addicta sacris, longe abhorreret à veritate; tamen diuini verbi aculeis acriter stimulata, sacerdotem de nostris, quo cum ageret, flagitauit; ab eoq. edocta de more Christum, salutari fonte lustratur. Prohibiti sunt etiam ab inimicorum sanguine atque cade nobiles clarique ciues, quorum ex odijs mutuisq. dissensionibus luctuosa metuebantur exitia.

GRANATAE item ad animarum salutem acriter vigilatur, quibus quidem non modo publicis in templo concionibus, sed priuatis etiam in tradendo Catechismo sermonibus subuenitur. Adolescens nostrorum oratione permotus, mulierem, cuius vitam corporis sibi ceperat, ad nos deduxit; adhibitoq.

Paniten-

Pœnitentiæ Sacramento, legitimi ambo matrimonij
 fœdere sunt coniuncti. Alius, qui viua uxore alterã
 duxerat, nuncium posteriori remisit, et ad superiorẽ
 reuertit. Conuersæ sunt etiam iratorum mentes ad
 equitatem & pacem, eorum præsertim, quorum
 eò vsque progressæ erant inimicitia, vt nisi duello
 viderentur non posse discuti: commissaq; iam pene
 pugna miras edidisset strages, nisi tempestiue Socie-
 tas occurrisset. Ad domestica vero munera (id
 quod de omnibus fere Collegijs accipiendum est)
 accesserunt externa: & vnã cum Archiepiscopo &
 Pastore, reliquis etiam ouibus tota eius diœcesi di-
 spersis, opportuna pabula ministrata: quo quidem
 tempore, quoniam propositum à Summo Pontifice,
 Iubileum consequi studebant omnes, ingens ille qui-
 dem in expiandis rite animis, sed tamen frugifer su-
 sceptus est labor.

VAEZANVM ET RELIQUA

Collegia.

IN VAEZANO Collegio inchoatum est
 quoddam è nostris fratribus Seminarium, qui ad
 eloquentiã informantur; ex quo plurima in reliquã
 Prouinciã deriuetur utilitas. Animorũ autẽ curã
 pro se quisque administrat egregie. Conuersus est ad
 Christum pertinax Turca, qui in custodia seruabatur
 ad necem: ne prius graderetur ad mortem, quam
 per baptismum ingrederetur ad vitam. Compositæ
 sunt etiam inter inimicos gratia: consultumq; eorũ,
 quĩ

qui detinentur in carcere, non animis modo, sed saepe etiam corporibus. nam cum ex annonae caritate, fame enecti quidam miserabiliter interirent, nostri diuinæ benignitatis erga se memores, quæ numquam sibi ipsa tantæ agrorum sterilitate deesse senserunt; succurrendum de suis angustijs famelicorum periculis censuerunt. quæ benignitas ad reliquam etiam mendicorum turbam summa Ciuitatis cum approbatione pertinuit. ducentis enim quotidie mendicis diuidebantur domi nostræ cibaria: nec tamen nobilitas deserebatur egestas; quibus eò à nostris succurrebatur ardentius, quòd sibi ipsi succurrere ingenio præ pudore non poterant. Dominico quoque die excursus est in Vbedam, finitimum oppidum; habitæq. in eo perutiles conciones: persuasumq. multis, vt à delicatis & obscænis uoluptatibus se seunge- rent: multis etiam vt iracundiæ temperarent, & iniuriarum ultionem diuino tantum Iudici reserua- rent. Et, quod caput est, Sacramentorum frequens vsus inductus.

IN MALACENSI Collegio præter alia pietatis officia, publici carceris necessitati sub- uentum est. Constituta in eo est sodalitas salutari- bus cum institutis: cuius beneficio, cum cetera uitiis, quibus referta sunt omnia; tum iurisiurandi ac ma- ledicendi consuetudo minuitur. Et quoniam non mi- nor fuit corporum, quam animorum egestas, ad ani- morum pabulum, corporum quoque adiectus est ci- bus. is singulis diebus præbebatur à nostris, exem- plo non minore, quam fructu.

GADIBVS apertum est humanitatis gymna-
sium; diu iam ab Episcopo ceterisque nobilibus expe-
ctatum: attributiq. in eam rem quotannis aurei ab
eo nummi trecenti & quadraginta. nec ciuium in eo
desiderata benignitas; qui quamdiu Gymnasia opus
suo ere inchoatum, non sit perfectum, numquam ces-
sant de suis opibus impertire: cum tamen alijs in
rebus sæpe nobis emolumento fuerint. ac ne
colligam uniuersa, quæ septingentorum
aureorum summam & eo am-
plius efficiunt; nobilis femi-
na aureorum bis mil-
le nos scripsit hæ-
redes.

